

Petrus de Vinea

*Ep. V 24 (Lecta nuper in  
auditorio nostro Communis...)*

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali  
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 24 (Lecta nuper in  
auditorio nostro Communis...)*

1241

Cuidam, quod non faciat represalias contra Tudertinos, sed alleget ius suum in imperiali curia, si quod habet.

1. Lecta nuper in auditorio nostro Communis Tudertinorum, nostrorum fidelium, supplex petitio continebat, quod, cum iuuenis quidam, nomine A., ad ciuitatem accederet, et ibidem aliquamdiu moraretur, quidam, quorum nomina ignorare se dicit, principales se tuos nuntios asserentes, prefatum A. proposuerunt quamdam summam pecuniae et res alias, sibi furtiue surreptas, secum clandestine asportasse, super quo pro parte tua iustitiam sibi fieri postularunt. 2. Quod cum Communi predicto ex nuntiorum ipsorum propositione notesceret, causam ipsam uolentes dare, diffugio predicto in eorundem nuntiorum conspectibus presentato, quantam iuris ordo deposceret, eis pro parte tua facere iustitiam obtulerunt. Nec patientes, quod per eorum incuriam uel per eiusdem malitiam negotium ipsum ulterius differatur, sibi firmiter et expresse mandarunt, ut eisdem tuis nuntiis sociatus, de terra predicta discederet ad te, cum rebus ablati omnibus rediturus. 3. Qui, dum ad te sub nuntiorum tuorum custodia rediens, ad castrum, quod Maczanum dicitur, deuenisset, cum a prefatis nuntiis tuis res omnes, quas secum ferebat, restituere uiolenter impulsus fuerit, mortisque sibi forte metuens periculum, ab eorum oculis repentinus aufugit, et Romam se dicitur contulisse. 4. Propter quod, tu, licet friuolam occasionem assumens, de bonis ipsorum Tudertinorum represalias te uelle facere comminaris, in eorum preiudicium manifestum. 5. Nos autem, ipsorum supplicationibus inclinati, tuae fidelitati precipimus, quatenus, si premissa ueritate nitantur occasione predicta, de bonis Tudertinorum ipsorum sine

specialis celsitudinis nostrae mandato represalias aliquas facere non presumas. 6. Sed, si quid iuris te contra ipsos habere contendis, illud, prout rationis et moris est in similibus, per nostram curiam observatum, recepto prius super hoc oraculo maiestatis nostrae, procedas.